

✠

Nos, D. D. Carmelus Ballester Nieto,  
Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Victoriensis.  
ejusque nomine, infrascriptus Vicarius Generalis.

Dilecto Nobis in Christo Dno. Joseph M<sup>o</sup> Arizmendi-arrieta y Madariaga,  
quarto ex quinquennialibus examine præmisso, ..... salutem in  
Domino sempiternam. Maxima vitæ ac morum integritate, singulari prudentia, ac scientia rerum divinarum con-  
gruenti præditos esse oportet, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum ministrandum deputandi sunt. Cumque te hisce  
dotibus satis ornatum non immerito iudicemus, idcirco, tenore præsentium facultatem tibi impertimur, ad tempus  
quo prædicta examina quinquennialia mensis octobris anni præximi  
celebrentur

duraturam, ut in Diocesi nostra absque præiudicio iuris parocchialis, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare,  
fidelium confessiones audire, omnesque pœnitentes rite dispositos a quibuslibet peccatis et censuris absolvere va-  
leas, exceptis iis quæ Sedi Apostolicæ aut Nobis, tan iure quam decreto diocesano sunt vel fuerint reservata.  
Excludimus tamen Sanctimonialium confessiones, nisi specialem iurisdictionem a iure vel a Nobis pro eisdem  
acceperis. Te autem in Domino enixe hortamur; ut ad tantum munus rite obeundum, ea qua decet modestia ac  
puritate accedas, studio moralis theologiæ prævie atque indefesse incumbas, et quæ ad rectam Sacramenti Pœni-  
tentiæ administrationem a sacris Canonibus sancita sunt accurate observes; Constitutiones Apostolicas, præsertim  
Benedicti XIV, adversus sollicitantes ad turpia, absolventes complicem in re venerea necnon sacramentalis sigilli  
violatores, præ oculis habeas. Claris ergo, quaesumus, hac potestate ad aedificationem, non ad destructionem;  
quod si quid arduum inveneris, in cuius solutione sis anceps, caute sapientiores te consulas, absolutionem interim  
differendo. Monstra te amantissimum patrem, iudicem et magistrum; magna cum sollicitudine et patientissima  
caritate pœnitentes omnes complectens, eos præsertim quos dubie dispositos noveris ad Sacramentum accedere  
Severe insuper prohibemus, ob tantæ Sacramenti venerationem ne in privatis domibus vel Oratoris illud admi-  
nistres, nisi gravis postulet necessitas congruisque cautelis adhibitis.

Demum, te solletter admonitum esse volumus ut in Sacrosancti Sacrificii celebratione omnes et singulas  
rubricas Missalis Romani reverenter ac devote observes, præscriptum tempus nunquam tertia horæ parte inferius  
impendas; conscientiae puritate et præmissa oratione ad altare accedas, debitasque gratiarum actiones postquam  
ab altari recesseris Christo Domino referas.

Datis Victoriae, die decimo-nona ..... mensis decembris  
anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo sexto. Valeant etiam ad verbum  
Dei prædicandum juxta Normas a S.C. Consistoriali die 1<sup>o</sup> julii  
anno 1927 editas.



De mandato Perill. Vicarii Generalis.

*Francisco Ferrer*

XXXXXXXXXX  
XXXXXXXXXX

Licentia ad Missam celebrandam et confessiones  
audiendas necnon ad verbum Dei prædicandum.

Reg. Lib. curr. fol. 27 núm. ....

Casus Praelato reservati

- I. Perjurium in iudicio.
- II. Homicidium voluntarium atque formalis ad id cooperatio.
- III. Incendium domuum aut messium, vastatiove arborum aut vinearum, ex deliberata damnum inferendi intentione.

